

*Prop. 29. Impossibile est, ait, concipere aliam actualēm rerum existētias, quam eam, quae est cum relatione ad certum tempus & locum, & quam habent res in se ipsis. Ea enim, quae dicitur esse in Deo, non est rerum, sed DEi propria existētia; Nisi existētia DEi et rerum sit eadem, adeoque eadem sit etiam DEi & aliarum quarumvis rerum existētia, quō revera nos ducunt hypotheses Spinoza. Quis verò sanē mensis concipiet, quomodo res adeo distinctæ, hoc est, quae non sunt eadem, tamen sint eadem! Deus nempe & res à DEo conditæ: Quis res totā suā naturā differentes concipiet ut modos divine substantiæ, quae in suā naturā non DEi summant & infinitam perfectionem exprimunt, sed suam finitam. Neque plus sententiæ Dippelianæ prodest, quod non tam essentiam æternam, quam radicem essentiae res creatæ in DEo ab æterno habuisse dicuntur. Per radicem namque nihil aliud intelligit, quam subjectum, ex quo creaturæ prodierint, ut, licet non formæ, prima tamen materia creaturarum statuatur æterna. Verum, Canon allegatus nullo prorsus modo, creaturas ab æterno in DEo fuisse, dicit. Essentia quippe rerum sumitur vel complexè, ut existentiam urā involvat, vel præcise in se & abstracte ab existentiâ. Priori sensu Canon falsissimus est, per hactenus disputata; posteriori verus quidem est, sed Adversariorum causæ nullatenus patrocinatur. Dicuntur equidem essentiae rerum æternæ, minimè verò ab æterno existentes. Regulæ namque sensus non aliis est, quam, quod essentiae, præcise spectatæ, cum rebus necessariò ac immutabiliter connexæ sunt, sive comparatæ, ut, salvis rebus, quarum essentiae sunt, aliter se habere nequeant, quin, si essentia non sit talis, nec talis res esse possit. Ut v.g. si Deus, Angelum creatorus, ei non angelicam, sed humanam largiri essentiam vellet, non Angelum, sed hominem producturus esset. Nam res & essentia ejus idem sunt, & rem talem producens, producit essentiam talis rei, & contrà. Quandoquidem ergo creaturæ non habuere ab æterno in DEo essentiam existentem; ita nec ex essentiâ divinâ emanarunt, nec emanare potuere. Conf. GRAPII Theol. recens Controv. Cap. I. Qu. X. & Theol. rec. Centr. Contin. Cap. I. Qu 3.*

*Quæ-*